FLORA.

№ 8.

Regensburg. Ausgegeben den 14. März. **1866.**
Mit Halbbogen 4 des Repertoriums für 1865.

Inhalt. W. Nylander: Adhuc circa heterogenesin animadversiones. Ders.: De Cephalodiis in Peltidea venosa. — Literatur. — Gelehrte Anstalten und Vereine: Schlesische Gesellsch. für vaterl. Cultur. — Botanische Notizen. — Anzeige.

Adhuc circa heterogenesin animadversiones.

Scripsit W. Nylander.

In Flora 1865 pp. 521—525 et 579—580, observationes quasdam attuli, unde patere videtur, *Amylobacteria* Trée. vix distare a Bacteriis communibus corpusculaque sistere ejusdem naturae [1]), atque forte varias formas a cl. Trécul indicatas ad typum unicum referre fas esse, etiamsi motu orbata videantur corpuscula gyriniformia (*Urocephala* Trée.); sed formae ceterae cylindraceae, oblongae et fusiformes motum proprium conspicuum nonnihil undulantem ostendunt, saltem egressae vel disjectae e cellulis, ubi ortae sunt. Cl. Trécul vult, ortum eum effici e granulis materiae, quae continentur in cellulis his parentalibus, ita ut granulum quodvis singulum in Amylobacterium transformaretur. Sic theoriae heterogeneticae novum exemplum et quidem valde singulare exponitur! Observare autem liceat, minime probatum esse,

1) Dominus Trécul nullam talem opinionem habuit. Nomen ab eo datum modo formam bacillarem spectat, nihilque cl. phytotomista respectu systematico statuit, nisi Amylobacteria sua tamquam „plantulas amyliferas“ designavit; ea praecipue cumulata in cellulis consideravisse nec libera circumstantia nec moniliformi-conjuncta.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05981-0115-6

granula organica cellularum vere transformari in *Amylobacteria*, quamvis haec illorum loco atque quidem quasi ex ipsis granulis gignerentur; tale enim aliquid nutritionis vel putredinis phaenomenis simul agentibus explicari possit. Primum esset momentum necessarium in re tam singulari demonstranda, qualem sisteret ejusmodi metamorphosis heterogenetica, ut rite historia biologica corpusculorum, de quibus agitur, perspiceretur; at ea omnino latet. Nescimus ex. gr. qualia germina adesse possint elementaria minutissima et quae facillime observationem fugerent; nescimus, quousque in cellulis plantarum ea germina parasitica vel aliena intrudi vel quomodo cum succu vel protoplasmate in texturis earum circumvehi possint; vel quae fata alia hic normaliter occurrant et de quibus nihil cognitum habemus. Nescimus equidem, quid vere sint *Bacteria*, sintne infusoria aut elementa discreta Fungorum infimorum analoga antherozois aut potius spermatiis. Modum multiplicandi l. c. memoravi (p. 523), quo Amylobacterium singulum constrictione transversali media in bina dividitur; tum bina (etiam in *Ficu carica* hocce jam observavi) adhuc conjuncta (vel constrictione attenuata cohaerentia), sat alacriter circumnatantia videre licet aeque ac simplicia. Quod in memoriam vocat, divisione simili vulgo multiplicari infusoria; atque id elegantissime conspicitur apud *Paramecium Aureliam* magnum (usque longitudinem 0,2 millim. superans), sed videtur substantia peculiaris (sic dicta sarcodica) infusoriorum mollior, intus quasi viscosa vel mucilaginea, unde efficitur ut in Paramecio illo, divisione transversali corporis, hora fere dimidia peracta, animalculis binis demum separatis, alteri eorum (vel animalculo saepius anteriori vel magis strenuo) in ipso loco separationis vel divulsionis mox protrahatur appendicula filiformis caudae instar syruposae, at ea cito evanescit. In Amylobacteriis nihil tale obvenit. Dissolvuntur ceteroquin infusoria vera vel saltem superioris Ordinis addito Ammoniaco, non autem Amylobacteria nec Bacteria nec Vibriones [1]).

1) Sporae variae vel proles Algarum inferiorum (ex. gr. inter Monades) et res multae adhuc dubiae vel embryonicae perperam ad infusoria apud auctores ducuntur. Chaos infusorium Linnaei haud parum chaotici adhuc hodie reliquit. Confusiones hic sicut alibi e manca methodo contingunt. Studia physiologica cum systematicis atque systematica cum physiologicis jungenda sunt, ut optimos et vere utiles fructus proferant. Saepe fabulas indicavi (ex. gr. Bayrhofferianas, Massalongianas, Koerberianas, Friesianas, Karstenianas, Lindemannianas, etc.), quae originem saepissime duxerunt e nisu jam ad solum sensum systematicum averso, jam ad solum physiologicum; peccat uterque alte-

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05981-0116-2

Aeque etiam observavi, similiter cellulas putrescentes integras et quidem (inter alias) fibras pariete crasso praeditas *Vibrionibus* agilissimis haud raro impleri. Quoque similiter *Bacteria* communia bacilliformia alacriter mobilia in cellulis clausis variis phanerogamarum putrescentium oriuntur; et vulgo tunc materias organicas in his cellulis deesse videmus.

Momentis omnibus morphoseos latentibus, determinare haud valemus, quomodo haec corpuscula (vel animalcula, si talia sint) gignuntur vel quibus conditionibus provenire possunt. Praetervidendum non est, Entozoa, in corporibus animalium ubi vigent, migrationum singularium exempla offerre, viscera penetrando varieque in iis se multiplicando seque dispergendo. Facile compar aliquid obveniat in texturis vegetabilibus demumque in iisdem degeneratis vel putrescentibus manifestum evadat, tamquam ostendunt Vibriones, Bacteria et Amylobacteria. Heterogenistae male fundamenta doctrinae ponunt in observationibus sparsis, quibus momenta solita absunt cognitionis circa evolutionem et vitae rationes varias, his enim ignotis aenigmata omnia insolubilia remanent. Scientia vult ut explicetur, non solum q u a l i s est quaevis res, qua occupatur, sed etiam et praesertim q u i d est vel ut distinguatur ab affinibus atque definiatur characteribus suis differentibus. Itaque maxime interest, ut res serie sua concipiantur.

Cl. T r é c u l quoque sporas mucedineas in cellulis putrescentibus foraminibus pertusis medullae *Ficus Caricae* ortas dicit e granulis amyli, quae in iis cellulis transformarentur in sporas tales (Institut, 1865). Quantum vidi, sporae quidem ellipsoideae vel subglobosae incolores simplices intra cellulas aliquando maceratione longa inveniuntur atque simul granula amyli in iisdem ante obvia evanescunt (magis equidem mirum esset, si remanerent); metamorphosin autem non conspexi amyli in sporas. Crederem vero, sporas eas progemmatione intrudi in cellulas et

---

rum negligens. Experientia in utroque necessaria est solidae cognitioni solidoque judicio, sine quibus nimis facile accidit, ut sententiae arbitrariae vel observationes levissimae indolis pro gravissimis inventis exhibeantur. — Jam satis probatur, quomodo recognoscenda est scientia infusoriorum, ea re, ut pro corde eorum vulgo exponuntur vesiculae vacuae in corpore visibiles contractiles et nullum continentes liquidum vel liquorem sanguini comparandum; potius respirationis cujusdam organa esse possint elementaria; at ubi de entibus agitur maxime distantibus et dissimilibus, periculum est, ne nullae analogiae bene conveniant.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05981-0117-8

simul sporas crescentes seque multiplicantes (sicut sic dicta *Torula Cerevisiae*) amyli granula sensim tamquam alimentum consumere. Sic etiam hoc heterogenescos exemplum valde vacillans habere liceat.

De Cephalodiis in Peltidea venosa. Scripsit W. Nylander.

Jam in scriptis meis *cephalodia* plurifaria apud Lichenes indicavi, sicut granuliformia in *Lecidea panaeola*, placodioidea in *Placopsibus*, fruticulosa in *Sticteis* certis; praeter alia jam partim cognita, sed anatomice neglecta, apud *Stereocaula*, *Usneas* etc. Omnia haec in pagina supera vel extera thalli occurrunt. Deinde indicavi, etiam cephalodia peculiaria pyrenodea adesse in *Sticteis* quibusdam et in *Nephromate expallido*, et quidem in pagina infera thalli eorumdem; „pyrenodea" dixi ob formam imitantem apothecia pyrenocarpea obtecta.

Apud *Peltideam venosam* (ob gonidia sua separandam a Peltigeris) in pagina thalli infera et saepissime supra nervos fuscos tomentosos videre licet cephalodia granula referentia cartilaginea glauca vel glauco-cinerea (aut demum obscurata vel nigricantia) parva (vulgo latit. 0,2—0,5 millim.) superficialia, subglobosa vel depressiuscula, haud raro conferta. Terram spectant, cui adnascitur hic lichen. Granula gonima [1]) continent mediocria et moniliformi-conjuncta in textura cellulari tenui.

1) Gonimia unico vocabulo dici possunt granula gonima, ut distinguantur a gonidiis veris. Forte quoque typus proprius gonidiorum, qui observatur in Peltideis, Solorinis, *Nephromate expallido*, nomen mereatur suum proprium; dicantur tunc haec gonidia parva et pariete cellulari tenui munita *Leptogonidia* (vel etiam nomen *Gonidimia* proponi possit).

Corrigenda.

Pag. 87. lin. 2. lege l.: Dicatur t. n. *expansa*: *Lecidea dispansa*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05981-0118-4

simul sporas crescentes seque multiplicantes (sicut sic dicta *Torula Cerevisiae*) amyli granula sensim tamquam alimentum consumere. Sic etiam hoc heterogenescos exemplum valde vacillans habere liceat.

De Cephalodiis in Peltidea venosa. Scripsit W. Nylander.

Jam in scriptis meis *cephalodia* plurifaria apud Lichenes indicavi, sicut granuliformia in *Lecidea panaeola*, placodioidea in *Placopsibus*, fruticulosa in *Sticteis* certis; praeter alia jam partim cognita, sed anatomice neglecta, apud *Stereocaula*, *Usneas* etc. Omnia haec in pagina supera vel extera thalli occurrunt. Deinde indicavi, etiam cephalodia peculiaria pyrenodea adesse in *Sticteis* quibusdam et in *Nephromate expallido*, et quidem in pagina infera thalli eorumdem; „pyrenodea" dixi ob formam imitantem apothecia pyrenocarpea obtecta.

Apud *Peltideam venosam* (ob gonidia sua separandam a Peltigeris) in pagina thalli infera et saepissime supra nervos fuscos tomentosos videre licet cephalodia granula referentia cartilaginea glauca vel glauco-cinerea (aut demum obscurata vel nigricantia) parva (vulgo latit. 0,2—0,5 millim.) superficialia, subglobosa vel depressiuscula, haud raro conferta. Terram spectant, cui adnascitur hic lichen. Granula gonima [1]) continent mediocria et moniliformi-conjuncta in textura cellulari tenui.

1) Gonimia unico vocabulo dici possunt granula gonima, ut distinguantur a gonidiis veris. Forte quoque typus proprius gonidiorum, qui observatur in Peltideis, Solorinis, *Nephromate expallido*, nomen mereatur suum proprium; dicantur tunc haec gonidia parva et pariete cellulari tenui munita *Leptogonidia* (vel etiam nomen *Gonidimia* proponi possit).

Corrigenda.

Pag. 87. lin. 2. lege l.: Dicatur t. n. *expansa*: *Lecidea dispansa*.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05981-0118-4

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1866

Band/Volume: 49

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Adhuc circa heterogenesin animadversiones 113-116